



Cvrsvs Philosophicvs

Arriaga, Rodrigo de

Antverpiæ, 1632

Sect. I. Quid sit Locus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95614](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95614)

Rogabis, utrum naturaliter possit dari aliquod infinitum. Respondeo, in Angelis non esse ullam rationem, cur non possint naturaliter infiniti produci, quia productio vnius non exigit ne alius producatur. Item neque exigunt spatium extensum in quo sint, quia omnes possunt esse in eodem loco; deinde, et si exigent, spatia sunt finita. Præterea etiam videntur naturaliter produci posse infiniti mundi, quia nihil est in natura quod illis contradicat. De infinito in magnitudine dicendum, viuentia physica naturaliter loquendo non posse esse infinitæ magnitudinis, quia augentur per intus-sumptionem, quæ alimentum ab una parte trahitur in aliam; id autem non possit fieri, si partes essent infinitæ. Quod enim respondent aliqui, illud viuens habiturum infinitum stomachum, & tam bene posse ex infinita culinâ infinitæ domui cibos suppedirari, quàm ex finita finitæ; hoc, inquam, ridiculum est. Fateor enim illis, quoad quantitatem ciborum id verum esse, sed rogo, si interposita cubacula illius domus sunt infinite longa, quando peruenient ministri cum cibis: ô quàm iam erunt frigidi! aut quanto tempore ex foro emptos cibos ad culinam ut parentur asportabunt famuli?

ô quàm iam forebunt! Si homo haberet collum & brachia infinite longa, per totam æternitatem non descenderet cibus ex ore ad stomachum, nec ab hoc ad caput aut ad manus alimentum peruenire posset: & hinc infra probabo, viuentia habere terminos magnitudinis, naturaliter loquendo. Verum in non-viuentibus, v. g. in igne, aëre, &c. non est cur ea magnitudo infinita naturaliter repugnet, non loquor in hoc vniuerso, quia ex de-

fectu loci per accidens repugnat infinitis ignis. Infinitum in intensione naturaliter repugnat ex incapacitate subiecti, quia cum hoc habeat limitatam virtutem, non potest simul sustentare infinitos gradus qualitatibus.

Aduerte pro totâ hac materiâ, non valere consequentiam hanc, *homo excedit infinitas species animalium inæquales inter se, ergo homo est infinitus*. Rationem fortè quis redderet, eò quod hic excessus non ita sit, ut in homine detur vnus gradus perfectionis quo excedat vnum animal, & alius quo excedat aliud: si enim ita contingeret, diceret quis, essent in homine proculdubio infiniti gradus perfectionis, & consequenter homo esset infinitus. Fit ergo ille excessus per eandem indivisibilem perfectionem etiam ratione nostrâ, quæ est superior ad omnes illas species animalium. Sed costringit, quia si homo esset infinitus, casu quo omnes eas perfectiones cum earum distinctione contineret, à fortiori erit infinitus, si eas sine distinctione contineat. Probo consequentiam clare, quia maior perfectio est continere eas sine distinctione, quàm cum illâ; ergo si cum distinctione arguerent infinitatem, à fortiori illam arguerent sine distinctione.

Adhuc tamen respondeo, si essent distinctæ, arguerent in homine infinitam perfectionem, saltem in multitudine; quando verò sunt sine distinctione, nec in multitudine, ut constat, neque in essentia est infinitum, quia habet multas imperfectiones admixtas, quæ repugnant infiniti in essentia, ut dixi supra num. 1. Hæc de infinito satis, quia quod plus mouetur, minus percipitur, & homo magis confunditur.

LIBER QVARTVS PHYSICORVM.

In hoc libro cum Aristotele agemus de Loco, Vacuo, item & de Tempore, quorum omnium difficultates inter se valde connexas esse, ex dicendis constabit.

DISPUTATIO DECIMAQVARTA.

De Loco & Vacuo.

SECTIO I.

Quid sit Locus.



ARISTOTELES in præfati definitiuit locum, esse superficiem corporis continentis immobilem. Inter Philosophos dubium est, cui loco hæc definitio conueniat, an reali & vero, an imaginario, an ipsis corporibus, an eorum vibrationibus. Sed quæstio est de voce, de re enim non potest esse dubitatio. Ego primum dicendum cenfeo, locum esse aliquid reale, quia ens rationis non est corpus absolute, neque habet superficiem propriam. Secundò, illum esse distinctum à re quæ

est in loco, nihil enim continet se ipsum, aut est in se ut in loco. Vnde infero, locum esse superficiem illam corporis realis continentis aliud corpus, v. g. superficiem vasis in quâ continetur aqua, superficiem terræ & aëris in quâ existit homo.

Sed obiicies: Superficies vasis non est locus, quia sequeretur, quando vter plenus vino mouetur, vinum non mutare locum, quia manet intra eundem vtem, & tamen certum est, illud mutasse & vibrationem & locum, ergo superficies non est locus. Propter hoc argumentum nonnulli hanc sententiam impugnant; sed, ut dixi, res est de voce. In quâ possumus respondere, tunc vinum illud non mutasse locum realem, licet mutauerit vibrationes, quæ, ut dicemus infra,

frā, non locum realem; sed spatium imaginarium respiciunt.

2 Difficultas est, quare iste locus dicatur immobilis; nam vas potest moveri localiter, potest item & aer ac terra in quā ego sum ut in loco, item aqua in quā continentur pisces ut in loco. Fusē in præsenti nonnulli recentiores aliorum explicationes referunt, & refutant, & tandem ipsi concludunt, ab Aristotele locum continentem dici immobilem, non quia absolute immobilis sit, sed quia potest manere immotus, etiam si corpus in illo contentum mutetur, ut potest dolium manere immotum, etiam si ab illo extrahatur vinum, quod erat in ipso ut in loco. Res est parvi momenti, & in quā diuinatur potius circa mentem Aristotelis, quam aliquid certum dicatur; præcipue cum videatur improprius modus loquendi, vocare aliquid immobile, eo quod licet possit moveri, non tamen necessario mouetur ad motum alterius: imò, etiam ipsa res vbiata potest manere immota, licet superficies moueatur, v. g. homo, licet aer ambiens moueatur; ergo in hoc sensu non magis ipsa superficies, quam corpus contentum est immobile. Quæstio est, ut dixi, de solo nomine, & forte illa particula est superflua, vel solum definiuit Aristoteles terram, quæ tota absolute est immobilis, & in quā omnes aliæ res locantur. Nam, quod alij dicunt, *ut immobilem* significare ipsum locum realem coniunctum cum suis vbiationibus, quia ut sic est immobilis, omnino displicet; quia licet verum sit, me v. g. quatenus sum sub sessione, non posse moveri, non tamen absolute propterea dici possum immobilis. Et ratio est, quia eiusmodi prædicatum non cadit proprie supra vbiationes, sed supra subiectum illarum quod solum importatur in recto, iuxta dicta à nobis in Summulis de Concreto accidentalibus; rectum autem huius concreti absolute est mobile, etiam si obliquum, scilicet vbiationes immobiles sunt. Adde, etiam in hoc sensu corpus ipsum contentum esse immobile, quod est contra intentum Aristotelis.

Aduerte, quando dicitur, terminum productum per motum localem esse locum, non intelligendum de loco ipso reali, scilicet de aëre aut de terrā, quia hæc non producit per motum localem, ergo intelligitur solum ipsa præsentia ad locum, quæ etiam aliquando dici solet locus, ipse autem locus extrinsecus & realis solum est id cui per præsentiam localem reddimur præfentes.

4 Aduerte deinde ex dictis, Cælum empyreum non esse proprie in loco reali, quia extra ipsum non est aliquod corpus reale in cuius superficie ipsum contineatur, quia supra cælum empyreum nihil est aliud nisi Beati, qui non sunt locus cæli, sed potius ipsi sunt in cælo ut in loco reali. Potest autem ea parte quā ad terram respicit, dici esse in loco, iuxta alios cælos.

SECTIO II.

Quid sit Vbiatio.

NOMINE Vbiationis intelligimus formam illam, à quā Petrus v. g. habet esse hic potius quam Romæ aut Parisiis: & de hac inquiri-

mus, utrū distinguatur ab ipso Petro, & à loco cui est præfens, & quid ea sit.

SUBSECTIO PRIMA.

Distinguitur.

CONCLUSIO sit, Vbiatio distinguitur realiter à Petro, à loco reali & imaginario, cui est præfens. Hæc est sententia omnium, quotquot ex Societate impresserunt, vno forte aut altero excepto; in manuscriptis verò ferè ab omnibus defenditur. Pro eā etiam stant Thomista & alij. Suadetur autem argumento facilius repetito, quia hæc omnia possunt existere in rerum naturā simul, quin Petrus sit hic; ergo illum esse hic, aliquid est distinctum ab ipso & à loco reali & imaginario. Consequentia est certa. Antecedens probatur, quia quando Petrus est Romæ, existit Petrus in rerum naturā, existit item hic locus realis, id est, hic aër, hæc terra, &c. & hoc spatium imaginarium, & tamen Petrus non est hic, ergo illum esse hic, aliquid est separabile ab illis tribus rebus, debet ergo esse aliquid distinctum; quia nihil potest esse realiter separabile à se ipso.

Disputatione IV. à num. 5. agens de Vnione, insinuaui varias solutiones, quibus aduersarij simile argumentum deludere solent, dedique ibi consilium, quomodo contra illos agendum sit. Iam autem, quid in his dicant, breuiter insinuo. Primò respondent, vbiationem meam hic nihil esse aliud, quam indistantiam mei ab hoc loco. Sed contrā, quia hæc indistantia est aliquid separabile à me & à loco, ergo est entitas aliqua realis.

Dicunt rursus, hanc indistantiam nihil aliud esse, quam non posse inter me & locum aliquid aliud interponi. Sed contrā in primis, quia duæ superficies corporum se tangentes non admittunt inter se corpus interiectum, & tamen una non est vbi est alia, id est in loco alius, ergo esse in loco, non est proprie, nihil posse inter corpus & locum interponi. Secundo, quia de hoc ipso est difficultas: nam inter me & locum non posse interponi alia corpora, est aliquid separabile à me & à loco, quia ambo possumus manere in rerum naturā, non causantes formaliter hanc incapacitatem; ergo fundamentum illius est aliquid separabile ab utroque, hoc autem est ipsa vbiatio.

Dicunt vltimò, me esse hic, nihil esse aliud, quam me & hoc spatium esse simul. Sed contrā, quia possumus ambo existere eodem instanti in rerum naturā, & tamen non esse simul, ergo esse simul aliquid est ab utriusque substantiā collectiue sumptā distinctum.

Adhuc dices, illud esse approximationem ipsius Petri huic loco. Sed contrā, quia possunt illa tria existere sine approximatione Petri, ergo ea approximatō est distincta ab omnibus illis, hanc autem voco ego vbiationem.

Tandem respondebis, vbiationem Petri in hoc loco, esse Petrum prout hic. Sed contrā quia *ut prout hic*, potest separari à Petro, ergo est aliquid ab illo distinctum; illud autem erit vbiatio. Ergo ut omnes istas solutiones vnā vice funditus euellas, & ne toties clamando defatiges caput, simul sic arguas: Me esse hic, seu esse ap-

Nn

proxi-